



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An latro in cruce sine operibus est saluatus sola fide. tit. 27

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

dehonestetur. Si autem fecerimus opera, magis propter ventrem & commodum nostrum, quàm laudem Dei, sicut Iudei propter terram sanctam & bona terræ seruabant legem, Deut. 28. tunc facimus nostra opera, id est, propria nostra opera. Sic inquit Christus: Qui plus diligit patrem, & matrem quàm me, non est me dignus, Mat. 10. Sic hæc vocantur opera Dei, quæ si illi in vera fide præstiterimus: etiã si illa à nobis sint facta, nihilominus sunt opera Dei, qui ea per nos operatur: si verò vtilitatem nostrã, id est, ventris nostri cõmoda spectemus, erunt nostra propria opera, quib. Deus non opus habet. Verùm sua opera sunt, quæ in nobis operatur per suum Spiritum sanctum, quæ à nobis præstari debent, vt illi soli cedant in honorem & laudem: & hætenus opus sunt illi nostra opera, quæ per nos operatur.

In eum finem etiam dicit Esa. 64. quòd opera nostra, quæ solùm sunt opera carnis, sine gratia Dei facta à nobis nostris viribus, sunt immunda, & omnes iustitiæ nostræ, quæ nostræ propriæ sunt, sunt velut pannus immundus menstruata. Sed aliud est de operibus Dei, quæ per nos facit. Illa non sunt nostra, licet per nos fiant. Illa purificantur fide, Actorum 15. Et placent DEO propter Christum, id est, ex gratia. sic etiam veretur, Iob 9 omnia opera sua, quæ ex viribus suis fecit. Non loquitur de illis operibus, quæ Deus fecit, nam patientia sua fuit commendata, & iterùm impetrauit omnia bona, vt vltimò ditior fuerit, quàm à principio, Iob vltim. Nõ sunt ergo sic parui pendenda bona opera gratiæ & Spiritus sancti, quæ si Deus omnia reijceret.

*AN LATRO IN CRUCE SINE
operibus est saluatus sola fide.*

TITVLVS XXVII.

Gg 4

Primò

PR Imò, seſtę vt derogent pijs operibus, & ſuam opinionē de ſola fide ſtatuant, plurimum coram ſimplicibus contendunt, allegantes exemplum latronis, qui nullū fecit opus bonum, ſed ſolūm credidit. Ideò dicitur ei: hodiè mecū eris in paradifo, Lu. 23. & Mat. 20. venientibus vndecima hora equalē dat mercedem. Ergò etiam ſola fide & ſola gratia ſine operibus iuſtificamur & ſaluamur, ſicut ex gratia per ſolam fidem illi remiſit peccatum, ita etiam ſaluauit.

Secundò, notandum primò, quòd ſcriptura nobis non pponat latronem ſicut exemplum fidei, vt eum imitari omnes homines deberent. Nā hoc exemplū, dicit Augu. eſt ſingulare quippiā, & ſimile miraculo, quod non generalem facit legem. Nam quòd beata virgo, vt credit Eccleſia Catholica, eſt in vtero ſanctificata, & præſeruata ab omni peccato originali, & q̄ Ioannes Baptiſta eſt in vtero matris ſanctificatus, Luca 1. & Ieremias, Ierem. 1. hoc ſingulare miraculū eſt & ſingularis gratia, quod non de omnibus dici debet hominibus. Non enim ſequitur: Ioannes eſt in vtero matris ſanctificatus, Ergo omnes ſanctificantur in vtero matris: Ioannes in vtero cognouit Chriſtū, & ſaltauit: Ergo omnes homines cognoscunt Chriſtum, & ſaltant in vtero matris. Huiusmodi verò miracula facit DEVS, ſicut vult ad ſuam gloriam: Quòd autem tu vis illa trahere in generale exemplum, atque ſic concludere, Latro in cruce abſq; operibus, id eſt, ieiunio, vigilia, eleemoſyna, cātationibus, campanis, &c. ſaluatus eſt: Ergo nec ego præſtare volo bona opera, ſed eadem ratione qua ille, ſalutem conſequar: aut, Qui poſtrema venerant hora, Matt. 20. idem præmium acceperunt quod & primi: Ergo mea iuuentute benè vtar, & ſenio conſectus, vitam meam emendabo. Hic non valebit tuum propoſitum. Eò enim ſpectat hoc miraculū, ne quis in agone mortis

mortis desperet, sed firmiter concipiat spem misericordiae, etiã si per totum cursum vitæ vixerit in peccatis, contrito corde sese conuertens ad Deum. Ideò Paulus 1. Cor. 7 inquit, Vnusquisque maneat in sua vocatione: quòd si tu maturè & in iuuentute fueris conductus in vinea, id est, per baptismum fidei es initiatus, fideliter & per totum diem labora, id est, seruias Deo omnibus diebus vitæ tuæ in sanctitate & iustitia, vt id omne in laudem & honorem altissimi dirigatur, neque murmures contra hos qui postrema hora venerunt, & tamen idem præmium, quale & tibi datum est, acceperunt. Deus enim est Dominus suorum bonorum: neq; enim loquitur hic Christus de paucitate aut multitudine operum, verùm docet remunerationem operum differentem esse, 1. Corint. 3. & 16. & non parem. Vbi fidem non excludit, sed eã etiam Deus requirit. quare dicit Paulus Rom. 3. Destruimus legem per fidem? Absit. Non ergò est vera prædicta sequela cum latrone, aut quòd solam habuerit fidem. Habuit quoque pœnitentiam cordis. Nam dixit ad alterum latronem, Luc. 23. Nos quidem iuste patimur huiusmodi pœnam: (nam digna factis recipimus:) Hic autem nihil mali gessit. Habuit quoque dilectionem, prædicat Christum in cruce, quia nihil mali fecit. Habuit spem regni Dei: ideò dixit, Memerato mei, quum veneris in regnum tuum, quòd si latro antequàm in cruce penderet, ad fidem fuisset vocatus, haud dubiè etiam, plùs laborasset. Ideò non facile valet hæc consequentia, Latro sine operibus &c.

Tertiò, si exemplis laboramus, cur non etiã Abrahamum in exemplum fidei trahimus? Id quod facit Paulus Rom. 4. qui dicit de Abraham, scilicet, quomòdò sit iustificatus, quòd credidit DEO, & habuit spem contra spem, & dedit gloriam Deo, &c. id quæ non solùm propter ipsum scriptum esse, sed etiam propter nos, vt illum sequamur &c. Hic credidit non

Gg s solùm

solùm verbo Dei, sed obediuit etiam, & fecit verbum Dei, offerendo filium, Gen. 22. relinquendo patriam, Gen. 12. Et cur non etiam trahimus Christum in exemplum, qui obediuit patri per totam vitam, & vsq; ad mortem crucis, Phil. 2. vt nos etiam corpora nostra, & omnia membra offeramus Deo in hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, Roman. 12. At dicces, Sum redemptus: ad quid amplius laborabo? Respond. Redemptus es, sed possessionem nondum habes regni. Nondum tibi distributa est redemptio, quæ non nisi per media distribuitur, neque apprehenditur. Non ergò debemus illa exempla quærere, quæ derogant operibus pijs, sicut faciunt sectæ, sed ea quæ nos prouocant ad bona etiam opera, vitam bonam, vt sunt exempla sanctorum.

Magna est iam deceptio simplicium per sectarios, qui tantum ea proponunt populo, vt credant quæ Christus fecit: sed tacent alterum, nempe quæ Christus mandauit nobis, & quæ à nobis fieri cupit, Concionantur tantum externè Christi mortem, crucem, pro nostris peccatis, imò totius mundi delicto, quæque Christus secundum humanam naturam operatus fuerit, & dicunt, id solùm credere sufficere ad salutem. Verum quæ Christus præcipiat, quòd qui hæc apprehendere volunt, hos oporteat credere, obedire eius mandatis, secundum verba illius omnia agere, item quòd Christus nobis promiserit, tanquam Deus, se daturum nobis spiritum sanctum, Ioan. 14. vt is nobis surroget robur, in nobis operetur suos fructus salutare, Galat. quinto, vt media nanciscamur, per quæ nos apprehendere, retinere, & possidere possimus meritum Christi &c. ad hæc tacent & obmutescunt, suntque pleni meris consolationibus ad populum, idque verbis dulcibus solummodò, per quæ salus & iustificatio nullo modo acquiritur. Commonefacit ergò & nos Paulus Roman. 16. quòd tales præcones
verbi

verbi Dei, blandiloquētes & assentatores, cauere di-
scamus. Insunt Christo duæ naturæ, humana & diui-
na: per illam nos redemit à peccato, per hanc autem
impertit nobis gratiam & potētiam, id est, fidem, sa-
cramenta, dona & fructus spiritus sancti, auxilium &
suppetias ad seruanda eius mandata, Roman. 8. quo
nos per hæc media apprehendere possimus, nobis ap-
plicare & retinere promeritā à Christo salutem, atq;
hoc pacto demùm veram hereditatem possidere. Sic
sunt tria beneficia Christi. Primum, quòd patitur
mortem pro nobis. Rom. 4. Secundum, quòd dat gra-
tiam & media apprehendendi, sicut vitis dat humo-
rem palmitibus, Ioan. 15. vt fructum faciāt. Tertium,
possessio regni, Matth. 25. Venite, &cæt. possidete &c.
Hæc igitur omnia prædicanda sunt vulgo.

*AN QUI IUSTIFICATVS EST
hic quoque saluus sit.*

TITVLVS XXVIII.



RIMò, sectæ, vt derogent pijs operi-
bus, ex duobus membris, nempè ex iu-
stificare & saluare, faciunt vnum & idē,
dicentes: Omnis qui est iustificatus, il-
le quoq; est saluatus: sed sola fides iu-
stificat absque operibus legis, Roman. 3. Ergo sola fi-
des saluat. & ad Rom. 8. inquit Paulus: Quos elegit,
hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: &
quos iustificauit, hos & glorificauit: ergò vna res, iu-
stificatio & saluatio: qui igitur iustificatus est, hic sal-
uus est: ob id salus per solam fidem acquiritur. Nam
cui remissa sunt peccata, quod est iustificare, quid re-
stat, nisi salus? Vt ergò fide gratis iustificatur, sic sola
fide saluatur. Secūdo, si hæc noua glossa scripturæ ef-
fet vera, nullus baptizatus posset dānari: quia omnis
qui